

PRÆFATIO,

LECTORI AËQUO.



Nihil minus, quam de Velleio Paterculo edendo nuper cogitabam, aliis & gravioribus curis districtus, cum forte fortuna excutiens bona cum venia Fratris optimi, Caroli Crucii, Heinsiana scrinia, exemplar editionis Heinsianae inveniebam, in quo vir nobilissimus notas priores, ad examen revocatas, partim correxerat, partim auxerat. Quare cum in eo esse hujus urbis Bibliopolam diligentissimum Luchtmannum intelligerem, ut, deficientibus editionis Thyssianae exemplaribus, de iteranda illa deliberationem haberet, & ille à me opem consiliumque expeteret, manum huic auctori recensendo adhibere, non detrectavi. Quamvis vero numquam Velleium in Principum Romanae civitatis scriptorum censum retulerim, aliosque & meliores esse, qui ad eloquentiae nitorem & reconditae eruditionis opes augendas plus conferre possint, non tamen omnino abjiciendum & negligendum esse, semper credidi. Nam quamvis, quod miraculo simile videtur, tantillo post Augustei illa aevi decora & ornamenta tempore, ejus dictio multum abhorreat & desciscat à naturali illa simplicitate, & munditie, & acumina & sententiarum
frigus

P R A E F A T I O.

frigus adfectans antiquum illud & nativum Historias scribendi genus degeneret, brevitate tamen & perspicuitate, nisi ubi librariorum supina negligentia verborum sensum obscuraverit, commendari meretur; & cum ordine temporis satis commode observato, quaedam Historiae Romanae capita, ab aliis vel praeterita, vel negligentius tractata, prodiderit, in digerenda temporum illorum doctrina egregia viris doctis subsidia subministravit. Has tamen dotes corrupisse & foedasse turpissima adulatione, qua praeter legem & decus Historici, Tiberio, Sejano & potentibus ea tempestate viris blanditur, fatendum est. Sed cum ipse servilis hujus assentationis meritas, ut viri docti non sine veri specie suspicantur, involutus ruina Sejani poenas dederit, nos monumentum ingenii, & rarae etiam in milite eruditionis, non sine aliqua laudis praedicatione celebremus. Sed de ejus meritis & doctrina ne longam pertexamus disputationem, efficit labor & industria omnium fere, qui illi recensendo & emendando manum adhibuerunt, commentatorum, quorum praeconia neque infirmare, neque sinistra etiam nimis quorundam de eo judicia nunc refellere vacat. Brevem potius Editionum, quae satis multae per duo secula prodierunt, catalogum subnectere visum fuit, &, cum maxima hodie eruditionis pars censetur, Historiae Literariae notitiam habere, fatis-

P R A E F A T I O.

fatisfacere illis, qui hujus studii delectatione capiuntur, conabimur. Vitam, vel potius ex tenebris, quibus per tot secula tectus latuerat, in lucem reditum debet Velleius Beato Rhenano Selestadiensis, viro in primis illis renascentium literarum per Germaniam initiis, diligentia, eruditione, & quod primum in hoc studio est, fide praecipuo, & principibus bonarum artium instauratoribus adnumerando: qui, ut plurimis industriae & doctrinae monumentis immortalem sibi apud posteros laudem pareret, id unice agebat, ut ex monasteriorum recessibus, ubi pulvere & situ obfiti veteris aevi codices putrescebant, protraheret eruditi quondam temporis reliquias, & cum orbe erudito communicaret. Is in coenobii Morbacensis pluteis cum antiquissimum Velleii, cujus vix nomen eruditis, nedum inertibus & ignavis Monachis, auditum erat, exemplar reperisset, illud describi typis Frobenianis anno cIo DXX jussit. Cui editioni paullo post Johannes Albertus Burerius, qui quis, qualisve fuerit parum mihi constat, adjecit emendationes Velleianas, ex ipso illo unico, ut jactat codice, accuratissime collato, petitas. Sed qui fidem & integritatem sequentibus Velleii interpretibus vix probare potuit. Avide hoc Beati Rhenani munus à viris doctis acceptum, & cum prima haec editio universo orbi literato vix sufficeret,

††

Ave-

P R A E F A T I O.

Avenione iteratam eam ab Antonio Bonhommeo A. C. cIo DXXXII narrant eruditi, sed de qua editione, cum oculis nostris numquam fuerit inspecta, existimare non licet. Sensit deinde Velleius noster curam magni Patriae nostrae & elegantioris doctrinae decoris, Desiderii Erasmi, cujus industria & labore tot emendatas, & quae semper in pretio & honore apud verae eruditionis arbitros manebunt, diversorum scriptorum editiones produxerunt Basileenses librarii, qui de palma artis Typographicae cum Italis & Gallis certabant. Hi Anno cIo DXLII sub nomine Erasmi aliis Historicis Romanis Velleium quoque adjunxerunt. Quamvis Vossius in notis ad Velleii lib. II. cap. 3. suspicetur alium huic editioni praefuisse, cum sexto demum post magni viri mortem anno prodierit. Hanc mihi consequendi felicitas defuit, quod maxime optaveram, quia saepe ejus auxilium advocasse Vossium videram, & sequentes fere omnes editores, deserta Rhenani editione, illam expressisse didiceram ex adnotatis ejusdem Vossii ad lib. II. cap. 75. quare coacti fuimus recurrere ad alteram, ejusdem Erasmi nomen praeferentem Basileae A. cIo DXLVIII editam, quae aliis Historiae Romanae Scriptoribus subjectum Velleium exhibet. Sed mirari subit, si prius editus fuerit Velleius sub Erasmi nomine, quâ in fronte editionis hujus secundae post
ca-

P R A E F A T I O.

catalogum Augustae Historiae Scriptorum ;
 subjecta legantur haec verba. *Accesserunt
 in hac editione Velleii Paterculi lib. II. ab
 innumeris denuo vindicati erroribus.* Quod
 vix praedicare potuisse videtur Frobenius, si
 jam primae editioni accesserit Velleius. Prae-
 terea mirum accidit sub Erasmi demum no-
 mine Anno cIo DXLII Velleium prodidisse;
 nam cum ille primum Historiae Augustae
 Scriptores ediderit Anno cIo DXVII & edi-
 tio illa Coloniae A. cIo DXXVII fuerit re-
 petita, Velleius, jam ante septem annos à
 Rhenano editus, potuisset certe à viven-
 te Erasmo addi: sed hi aestus forte omnes
 subsiderent, si quo auspice Frobenius edi-
 tionem suam emisserit, & quae ratio eum
 impulerit, ut Erasmi jam mortui nomen praefi-
 geret, nobis constaret. Basileenses excepit
 Gryphius, qui Lugduni Anno cIo DLII Vel-
 leium dedit, sed cujus copia nobis quoque
 facta non fuit; sed parum vel nihil à •Basi-
 leensibus eam descerepare conjicimus, qui ex-
 perientia edocti sumus sollemne fuisse Gry-
 phio Aldina aut Frobeniana exemplaria ad
 verbum fere exprimere. Parisienses quoque
 Anno cIo DLX in minori forma, simul cum
 Floro & aliis prodidisse Velleium narrat Cl.
 Fabricius in Supplemento Bibliothecae La-
 tinae. Hos excepit magnum illud artis si-
 mul Typographicæ & eruditionis ornamen-
 tum H. Stephanus, qui Anno cIo DLXVIII

P R A E F A T I O.

cum Fastis Sigonianis Velleium in lucem produxit, sed quem, fere in omnibus, Erasmanis vestigijs insistere deprehendimus. Aldus deinde Manutius Pauli F. Aldi N. notis suis illustratum domesticis typis descripsit A. cIo DLXXI. qui plurima, satis etiam temere, ex ingenio immutavit, sed minimam partem eruditis approbare potuit, ut facile lectori notas ejus & aliorum conferenti patebit. Et indignationem eruditorum meruit Aldus, qui Typographus, nec ad paternae eruditionis laudem adspirans, criticus etiam ambitiose existimari, & iis, quae à Claudio Puteano acceperat, insuper habitis sua venditare voluit. Quare Puteanus, qui sua communicaverat cum Aldo, incitatus, suas in Velleium notas collegerat, & edere destinaverat, nisi mors intervenisset. Sed eas adjecerunt Parisienses editioni Anni cIo DCVIII. qua Tacitum & Velleium variorum notis instructum vulgare, & ibi illiberale hoc Aldi facinus, brevi praefatione ante notas Puteani, ut dignum erat, traduxere. Errat vero Colomefius in notis ad Quintil. inter opusc. p. 370. qui Puteanum has notas ante annum aetatis vigesimum scripsisse dicit. Cum ea aetate quidem cum Aldo aliqua communicaverit, sed rediit in patriam, & iratus Aldo, demum notas concinnaverit, nescio quo aetatis tempore; certe illae non nisi post ejus mortem prodire. Anno quoque cIo DLXXXVII Fridericus Sylburgius

P R A E F A T I O.

burgius cum Historiae Augustae Scriptores in unum corpus conjiceret, Velleium iis addere non neglexit. Valens postea Acidalius, dum in Italia peregrinaretur, Patavii edidit Velleium A. MDXC. de cuius viri meritis nihil attinet dicere: nota enim eruditus ejus innovandi omnia, etiam sana & integra, cupiditas, & antiquitatis nimia adfectatio, qua exoleta & non illius seculi, quo auctores, quos versabat, vivebant, verba pro libidine intrudebat. Licet vero Barthius in comm. ad Guilj. Briton. lib. v. 434. mirum & admirandum in eo acumen agnoscat, ipse eodem morbo laborans, & ad lib. II. 205. laudet eum, poenituisse tamen eum perpetrati nimis laboris constat ex Epistola ejus LVII. ad Jacobum Monavium, qua queritur triennio post, Lugdunenses Gallos importuna diligentia expositam & abjectam mortique destinatam prolem ignaro & invito patre sustulisse, & de secundis se curis cogitare scribit: Lugdunensis vero illa editio Anni MDXCIII cum Acidalii notis etiam Manutii, Lipsii & Schegkii exhibebat. De Lipsii quidem notis facile constat, eas tunc potuisse edi, cum ille A. MDXCI. typis Raphelengianis Velleium castigatum ediderit, quae deinde iterata A. MDXCIV. adjectis à Raphelengio variis lectionibus, ex notis doctorum virorum, & ore Lipsii docentis exceptis, & postea semper Tacito

P R A E F A T I O.

comes adhaesit. Sed Schegkium suis tantum notis illustratum Velleium edidisse nondum comperire potui. ante Lipsium tamen prodiisse ejus notas ex ipsius Lipsii ad lib. 1. cap. ult. adnotatione patet. Ubi memorabilis illa & vera à Lipsio vox edita, nostra etiam de adolescentium conatibus judicia dirigere debet: nam cum eximiam de Schegkio spem laudasset, addit, *immodestia multorum juvenum cogit me adolescentiam timide laudare.* Insignis vero negligentia Lipeonii, qui nobis, si Diis placet, editionem Lugdun. Batav. 1594. cum notis Manutii, Lipsii, & Jacobi Sadoleti memorat, pro Schegkio Sadoletum substituens: Lugdunensis vero in Gallia editio deinde Francofurti A. c10 DCII fuit iterata. Janus quoque Gruterus, indefessae in excutiendis bibliothecis industriae vir, & meritis in rem literariam supra omnes fere memorandus, Anno c10 DCVII Francofurti minima mole Velleium curavit, cum Scholiis, Notis, variis lectionibus, & animadversionibus doctorum, ut Rhenani, Burerii, Manutii, Ursini, Lipsii, Raphelengii, Schegkii, & Acidalii, quibus suas notas subjunxit. Et deinde A. c10 DCXI. Historiae Augustae minoribus Scriptoribus Hanoviae editis Velleium immiscuit. Quem & antea Genevenses A. c10 DCIX. Paterculo honorem habuerunt, eamque editionem A. c10 DCLIII iteratam. Cl. Fabricius adnota-

P R A E F A T I O.

notavit. In Belgio deinde nostro Aufonius Popma, Frisius, Franekerae A. c^{lo} dcxx Velleio quoque manus admovit, & notas factis eruditas elaboravit; sed in paucorum notitiam ejus curam pervenisse nemo mirabitur, qui exiguam libelli formam, cui fere debere videtur, quod inter puerorum manus & fines nostrae patriae sensim deperiret, & evanesceret, consideraverit. Nec praeterea aliquid isti editioni splendoris aut elegantiae à Typis aut charta, quae utraque pessimae notae, accessit. Marcus etiam Boxhornius Zuerius cum quatuor voluminibus Historiae Augustae Scriptores ederet A. c^{lo} dcxxxix Velleium quoque Paterculum, brevibus notis illustratum, primo tomo inseruit. Meliori vero auspicio Gerardus Vossius, magni Gerardi Johannis filius, primis pubertatis annis, manum & curam Velleio adjecit, & summam ingenii & eruditionis paternae aemulam spem & exspectationem viris doctis commovit, elegantissima Typis Elzevirianis editione A. c^{lo} dcxxxix procurata, quae deinde iterum iterumque repetita fertur. Nescio vero an inter tot egregias editiones memorari mereatur Andreae Lacarri, Parisiis Anno c^{lo} dcxlv emissâ editio minoris molis, cum nihil contineat, quod ejus desiderium eruditus possit movere, & ideo solum videatur repetita, ne Gallica juvenus levioris ponderis libro, quem facile circumferre possit,

P R A E F A T I O.

careret. Digna vero & praestans omni ex parte est Johannis Henrici Boecleri industria, cujus cura bis Velleius noster lucem vidit; primum Anno cIo DCXLII. cui editioni accessere praeter notas eruditissimas, partim verba Velleii illustrantes, partim praecepta vitae & artis civilis exhibentes, Characteres Politici Velleiani, & dissertatio de Amnestia, quae opuscula in secunda Anni cIo DCLXIII editione, nescio quam ob causam, fuere omiffa. Confecit idem quoque Boeclerus indicem utilissimum, quem nos multis in partibus ampliatum hic quoque exhibuimus. Antonius deinde Thysius Anno cIo DCLIII cum variorum notis, sed miserum in modum detruncatis & foedatis emisit, de suo vero nihil fere adjecit, nisi quod ex Lexicis Historiam & Geographiam completentibus quivis Tiro arcessere possët. Et hic insignis Lipenii diligentia apparet, qui Thysii editionem Lugd. Bat. A. cIo DXCIII profert, quo tempore forte Thysius natus nondum erat, eique etiam tribuit Parisiensem 1608. & alias. repetita quidem Anno cIo DCLXVII Thyfiana editio, sed quam ego ne verbo quidem à priori discrepare deprehendi; quae tamen editiones cupide fuere divenditae, cum illo tempore insano quodam ardore nostrates & exteri illas variorum notis foedatas expeterent? Quibus tamen facile caruisset orbis literatus, nisi postea doctiores Thyfio
&

P R A E F A T I O.

& Schrevelio viri institutum illud ad majus reipb. literariae commodum & decus correxissent, & pro mutilatis & sine ullo judicio excerptis adnotationibus integras subjicere instituissent, & ita effecissent, ut priores illae editiones jam ex Bibliothecis ejectae ad tabernas commigrent. Aliud deinde & multo minus laudabile consilium inierunt omnis elegantiae, ut sibi persuadent, arbitri & magistri Galli, qui sub Auspiciis Illustrissimi Ducis Montauserii, & Danielis Huetii jussi sunt omnes fere antiqui aevi scriptores nova specie commendabiles in usum serenissimi Galliarum Delphini proferre. ex illis provincia Velleium novo more interpretandi obtigit Roberto Riguezio (quem *Riguetum* vocat Lipenius) Jesuitae, qui Parisiis A. MDCLXXV cum in lucem elaboratas suas curas protulisset, non majorem confortibus suis laudem apud eruditos reportavit, sed plebeja interpretatione, & notis undecumque corrafis ritum exteris praebuit. Et certe mirari licet vesaniam plurimorum, qui innumerabiles libros undique coëmere student, quorum indices vix toto vitae cursu perlegunt, sed qui inter tot millia codicum oscitantes languent, & quibus nulla domus instructa decore fatis videtur, nisi accedat Bibliotheca ut necessarium ornamentum, & qui specie & operum frontibus & titulis capti, amant paria mole & forma longo ordine volumina com-

P R A E F A T I O.

ponere, & tam infano pretio hos in usum Delphini libros editos, non in studium, sed in spectaculum comparare. Quam studiosam, immo ne studiosam quidem, luxuriam gravissime jam olim incepuit Seneca. Et, si vera fateri velimus, quid attinebat tantum laboris & chartae perdere, ut orbis eruditus tam immensa inutilissimorum voluminum multitudine oneraretur, & tot egregii scriptores ab obscurissimis hominibus, & quorum nomina vix ipsis Parisiensibus nota erant, conspurcarentur. Immo cujus incepti nunc ipsos, qui praefuere, & operas inter imperitos linguae & consuetudinum Romanarum partiti sunt, poenitere, & fateri se male ingeniorum delectum egisse, legimus. Utilius equidem & minori temporis & pecuniae jactura repetere veterum scriptorum editiones instituerunt Britanniae eruditi, quorum maxima opera in excutiendis codicibus manu exaratis, & notandis lectionum diversitatibus occupatur. Sed ut ad ordinem, quo Velleii editiones novae prodierint, regrediamur, Anno MDCLXXVIII. Vir nobilissimus, Nicolaus Heinsius emendare nostrum Historicum adgressus, notas suas, omni elegantiae & eruditionis dote commendandas elaboravit, in quibus liberius quidem aliquando ingenio & conjecturis indulgere visus est, sed sic quoque principem sibi inter Velleianos interpretum locum jure vindicare potest. Neque

P R A E F A T I O.

que sibi fatifecisse semper virum, in aberrationibus librariorum deprehendis sagacissimum, docebunt secundae ejus curae, quae nunc exhibentur, & quas magis magisque adhuc politurum credibile est, si felici quodam fato novos Velleii codices bibliothecae suppeditassent: nunc vero, quod unum superest, vestigiis unice editionis primae insistendo naevos insignes dexterrima sollertia deterfit. Laudabilis etiam industria viri, aliis etiam meritis in rempublicam literariam conspicui, Johannis Hudsoni, qui Anno c^o d^o cxciii accuratissimam editionem procuravit, qua avidissime excepta & desiderata, novam Anno c^o d^o ccxii emisit, in qua ipsis Velleii verbis subjectae sunt discrepantes priorum editionum lectiones, & quid quisque interpretum post Rhenanam curam emendandum censuit, in calcem vero libri rejecit excerptas ex pluribus notas, quas ad illustrandum Velleium sufficere credebat, intermixtis hic & illic ex sua penu doctissimis animadversionibus. Non desiderari post tot Scriptoris, non magnae molis, editiones, nova facile videri posset; sed cum deficeretur Germania exemplaribus Velleii, eaque magis exposita & venalia suae genti vellet vir insignis, & omnium sui aevi doctorum cultor & fautor, Fridericus Benedictus Carpzovius, Lipsiensis Senator, novam coepit per se moliri editionem, in qua, si quid admissum est, id
omne

P R A E F A T I O.

omne amore & veneratione, qua Heinfranium nomen prosequeretur, est peccatum. Nam non modo certissimas viri nobilissimi emendationes expressit, sed dubias saepe & temere captas conjecturas in ipsum auctoris contextum recepit. Cum vero ante ultimam labori suo manum impositam fato cessisset, ad Christophorum Cellarium perficiendi cura fuit delata, qui aliis tunc, ut ipse fatetur, curis districtus, leviori manu nostrum Velleium tractavit, & Anno c^lo dccvii. pauculas nec magni ponderis notas, aliunde fere collectas subjecit, indiceque duplici, altero rerum, altero verborum, nec accurato satis, nec pleno, exornavit. Sed nondum sufficiebat Germaniae haec sive Carpzoviana, sive Cellariana editio: nam eodem anno Christianus Junckerus Francofurti & Lipsiae novam concinnavit, denuoque A. c^lo dccxii Joannes Georgius Walkius Lipsiae aliam protulit, quae utraque magis in scholasticae juventutis, quam eruditorum virorum usum paratae, vix memorari merentur. Ipsi enim Editores non ultra Minellii & similium Paedagogorum famam se spirasse confitentur, neque nobis ea temporis erat & otii abundantia, ut in puerilibus his notis excutiendis diu immoraremur. Ultima denique, quae mihi innotuit, est Londinensis Anni c^lo dccxiii editio, curata à Michaële Maittaire, qui brevi tempore magnum satis veterum scripto-

P R A E F A T I O.

Scriptorum numerum effudit, ne scilicet aemula Batavici nitoris Anglia careret exemplaribus, quae Elzevirianis & aliis elegantia & cura insignibus palmam praeriperent. Hujus voti an compotem fecerit Britanniam vehementer dubito, cum festinatione summa, nec adhibitis in consilium diversis virorum doctorum curis & emendationibus, illas modo editiones expressisse videtur, quae fama & sermonibus vulgi optimae esse jaectantur. Amplis vero & ingenii & doctrinae copiis instructum esse oportet, qui intra tam exigui temporis spatium, tot diversae dictionis & ingenii Scriptores cum aliqua cura emittere se posse contendat. Earum aliquot recensum egit Johannes Clericus, Tomo V. Bibliothecae antiquae & novae, ubi jure sibi usurpato, *Ἰψιαθῆς* ille Philosophus, & Critica, cujus prima etiam initia non satis perspecta habet, facultate se jaectans, ineptis etiam & nulli doctorum probabilibus conjecturis Scriptorum illorum loca quaedam sollicitat. In Velleio vero duo sibi suspecta tentat, quae cum in notis nostris, nescio quo casu, praeterita sint, hic in transcurfu excutere est animus, ut illustriori in luce inscitia pauperrimi Reipb. literariae emendatoris appareat. Scripserat Velleius lib. 1. cap. 12. de Scipione AEmiliano, qui Carthaginem evertit, *eum fecisse suae virtutis monumentum, quod fuerat avi ejus clementiae.* Quibus in verbis
So-

P R A E F A T I O.

Sophus noster, non recte inter se opponi *virtutem & clementiam* credit, exactiusque Velleium locuturum fuisse putat, si pro *virtutis, severitatis monumentum* dixisset, neque tamen, quae est ejus modestia, aliquid immutare audeat. Sed ut omittam, *severitatem* potius exerceri in imperiis erga milites; in judiciis erga reos, & similibus, quam à victore in debellatos, nonne recte & ordine Velleius fecisse censendus est, quod Carthaginem illam aemulam imperii Romani, & tam pertinaciter rebellantem, virtutis suae bellicae, qua eam vicit & expugnavit, monumentum fecisse Scipionem dicat? ut quicumque postea vel ejus rudera conspiciat, vel res gestas legat, miretur Scipionis virtutem, & fortitudinem; qua urbem, tam florentem militari scientia, & armorum usu celeberrimam, prostraverit. Exercuit ergo virtutem suam Scipio Nepos plenius, quam Avus, qui de ea multum remittens maluit clementiae suae, quam virtutis esse monumentum. Sed si in Velleii dictione & more enuntiandi versatior esset censor, qui forte ante illum diem, quo Anglicam editionem recenseret, numquam eum legerat, contulisset illa Velleii verba cum similibus lib. II. cap. 39. ubi *Syriam & Pontum esse Cn. Pompeji virtutis monumenta*, eodem plane modo dixit. Neque multum abludunt illa quoque lib. II. cap. 40. ubi *tres orbis terrarum partes monumenta victoriae,*

P R A E F A T I O.

Storiae, virtute scil. partae, *Pompeji* ait. Neque *virtutis* vocem esse exterminandam clare probat alius locus ex lib. 11. cap. 4. ubi eundem Scipionem, *fortunae virtutisque expertae in Africa, respondisse in Hispania* narrat. Ut nimirum Carthaginem virtute sua diruit, ita & Numantiam solo aequavit, nomenque suum excidio urbium celebre perpetuae memoriae commendavit. Faceffat ergo inutilis, & quae parum exercitatum in Velleii lectione Philosophum prodit, conjectura. Altera vero egregium Grammaticae doctrinae specimen exhibet, ad illa lib. 1. cap. 16. *ut nemo memoria dignus, alter ab altero videri nequiverint.* Ubi adnotat, se non videre, cur non *nequiverit* correxerint viri docti, ut esse in Aldina editione confidentissime adfirmat. Oportet certe Clericanae esse frontis aut negligentiae, si quis ita lectoribus imponere auderet. In Aldi Manutii enim editione, apertissime legitur *nequiverint*, sed in notis suis Aldus notavit se malle, *nequiverit*; ex quibus, numquam visa ipsa Manutii editione, haec Clericus sublegit. *Nequiverint* vero legendum esse, & elegantiae antiquae usum ita exposcere, ipse, spero, censor vitio creatus, post ea, quae subjeci ejus constructionis exempla, sibi persuadebit. Quibus addat aliud ex Ovid. v. Met. 674.

Alte-

P R A E F A T I O.

*Alteraque alterius rigido concrefcere ro-
stro
Ora vident*

ubi fimiles Clerico librarii *videt* etiam prae-
tulerant. Neque contentus infelici hac acu-
minis ejaculatione, ferociae quoque, quo fe-
re femper ad inique de aliis, & praefertim
antiquis exiftimandum fertur, indulget, &
Velleium reum negligentiae, & impropriae
locutionis, cenforia nempe virgula omnia
caftigans, quae sibi vel displicent, vel non
intelliguntur, agit. Profefli jam fumus, mi-
nime fe Velleium poffe eo nitore commenda-
re, quo priores sub florentiffimo Augufti
imperio, fcriptores; fed non confestim, quia
miles fuit, fcribendi quoque imperitia, ora-
tionis horror & negligentia generatim funt
objicienda, indeque perpetua calumniandi
cauffa arripienda. Sed de fingulis verbis &
dictionibus in confilium eundum eft, nec
quia nobis durior & inufitator quaedam lo-
cutio occurrit, ftatim ad commentitiam ra-
tionem, & imaginariam quamdam Analogiam
recurrendum, fed ad ufum elegantiae vete-
ris refpiciendum, cujus qui non meliorem
guttum, quam Logicis & Phificis libris ini-
tius habet, ille manum ab auctoribus ca-
ftigandis abftinere debet, & rectius in pofte-
rum Clericum facturum puto, fi obfecutus
ami-

P R A E F A T I O.

amicorum consilio, relicta aliis elegantioris disciplinae cura, & critica exercitatione, se in antiquas sordes revolvat. Sed mittamus hominem maledicum, tot jam undique plagis confossum, & de Velleio potius, ut nunc prodit, & nostra ratione, quam secuti sumus, breviter aliquid subjiciamus. Ipsa Velleii verba, quanta potuimus cura, ad primam Rhenani editionem exegimus, & ubi tolerabilis nobis lectio videbatur, ab ea quam minimum recessimus. Deinde Erasimianam reliquaque diligenter contulimus, & quidquid dignum videbatur, adnotavimus. Notas omnium usque ad Heinsium interpretum integras & illibatas verbis ipsis Scriptoris subjecimus, credentes rem nos gratissimam & eruditis, & juventuti studiosae facturos, si in unum volumen omnia, quae priorum industria elaboravit, conjuncta simul habere, & ita patientius desiderare possent veteres editiones, quae vel rarius occurrunt, vel animose comparari solent, maxime ab illis, qui earum usum & verum pretium ignorant. Solius Ruperti nullam rationem habuimus, quia & longiores illas dissertationes moles libri non admittebat, & Academicarum potius disputationum, quam notarum faciem praeferebant. Plurima tamen in illis bonae frugis & exquisitae doctrinae, qua florebat olim Rupertus, monumenta existere deprehendent, qui legendi eas labore defungi ve-

†††

liant.

P R A E F A T I O.

lint. Prodierunt vero simul cum observationibus in Valerium Maximum Noribergae A. cIo DCLXIII. Heinſianas vero notas, ut manu ſua ipſe vir nobiliſſimus, vel emendaverat vel auxerat, ſumma fide expreſſimus. Quod ideo monere viſum eſt, quia video jaſtari à Clerico Tom. III. Bibliothecae Selectae p. 366. & Tom. V. Antiquae & Hodiernae pag. 142. alium ſuperreſſe codicem Velleii, cui plurima adjecerat Heinſius, & quem in animo habuiſſe quosdam Amſtelodami edere, ſed neglexiſſe, neſcio qua de cauſſa, narrat. Suſpitor vero illum ambitioſe jaſtatum codicem eſſe, qui nuper hic Leidae publica auſtione venalis ab Amſtelodamenſi quodam fuit propoſitus, & quem ipſe, cum in catalogo etiam Heinſii manum exhibere eſſet ſignificatum, pervolvi; ſed in quo pauciſſima & nullius momenti adſcripta deprehendi, & quae omnia etiam uberius in codicem, quem habui ad manum, erant tranſcripta; quare eum libenter aſſi addici à praecone paſſus fui. Sin alibi exiſtet diverſus Heinſii liber, ne premerre tanti viri curas velint, etiam atque etiam poſſeſſores rogo. Ex noſtra penu etiam quaedam depromſimus, quae vellem uberiora & exactiora prodirent; ſed cum plurima jam occupata ſint ab interpretibus, & notarum multitudine fere libellus ſit obrutus, brevitati ſtudiimus, neque repetere aliis dicta, aut longas, & nihil ad Velleium facientes, dif-

P R A E F A T I O.

differtationes contexere voluimus. De Velleio ipſo, quis, qualifve fuerit, ut conſtaret eruditis, praeter Lipſii & Voſſii differtationes, doctiſſimi Dodwelli Annales Velleianos ſubjecimus, &, ut nihil jure deſiderari poſſet, praefationes quoque praecipuarum editionum addere non negleximus. In ſchedis praeterea Heinſianis notas quaſdam Andreae Schotti in Velleium, & Frontinum de Coloniis cum reperiſſemus, neque exiſſe eas adhuc ſciremus, hac occasione etiam publicandas cenſuimus. In quibus omnibus colligendis & recensendis, ſi quid humani nobis acciderit, aut non diligenter ſatis fuerit exactum, aequam à lectoribus veniam peto, & ut ignoſcant mihi, laborioſiſſimo quotidie munere perſurgenti, & qui hanc Velleio operam datam ſubſecivis quibuſdam horis, quas gravioribus Quinctiliano & Ovidio debitis laboribus ſum ſuffuratus, rogo, & ut ſequentes, quae mihi relegenti in oculos incurrerunt, vel librariorum, vel correctorum aberrationes emendent, precor.

ERRATA IN TEXTU.

p. 515. l. 2. *Aſperimi* lege *Aſperrimi*.
p. 583. l. 4. CAP. XXII. lege CAP. CXXXII.

I N N O T I S.

47. col. 1. l. 32. *εὐσοχον* lege *εὐσοχοι*.
45. col. 2. l. 39. *proferat* lege *profert*.

95. col. 2. l. 23. *lib. vi. lege lib. vi.*
 109. col. 2. l. 23. *vires lege viros.*
 l. 24. *aqualis lege aequales.*
 117. col. 1. l. 12. *BURM. lege BURER.*
 117. col. 2. l. 6. *ibidem lege itidem.*
 120. col. 2. l. 6. *ardore lege ardere.*
 153. col. 2. l. 26. *elar. lege classe.*
 164. col. 1. l. 2. *Euripu lege Euripus, quam M. Alexander potiundi.*
 173. col. 1. l. 27. *famam lege famem.*
 175. col. 2. l. 10. *aquam illam lege equum illum.*
 185. col. 1. l. 46. *omnibus lege omnium & dele seq. versum.*
 262. col. 2. l. 37. *e Sullab lege Sullæ.*
 l. 47. c. 2. *lege c. 12.*
 273. col. 2. l. 21. *restitent lege restiterit.*
 309. col. 1. l. 12. *desituere lege destituerit.*
 379. col. 1. l. 9. *ustratam lege ustratum.*
 380. col. 1. l. 14. *scriptum lege scriptura.*
 col. 2. l. 10. *Epist. lege Epit.*
 396. col. 2. l. 4. *ut lege ubi.*
 l. 5. & *Suet. lege ex Suet.*
 452. col. 2. l. 7. *hac lege hæc.*
 456. col. 2. l. 11. *temperatus lege temperaturus.*
 l. 12. *bire lege bit e.*
 519. col. 1. l. 20. *laticior lenier lege Latinis linter.*
 531. col. 1. l. 4. *cap. 66. lege cap. 68.*
 596. col. 2. l. 18. *publici lege publicis.*
 In Præfatione † 8. v. l. 5. *quo fere lege qua fere.*